



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XIV. Et honorificum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

& Martyribus aliis, ait Cyprianus, epistolâ ad Martyres & Confessores: *Vidit admirans præsentium multitudo cælestè certamen...* O quale illud fuit spectaculum Domino, quâm sublime, quâm magnum, quâm Dei oculis, Sacramento ac devotione militis ejus, acceptum! *Quâm latus illic Christus fuit!* *Quâm libens in talibus servis suis pugnavit, & vicit!*

XIV. Legimus sæpè historiam Jobi,  
Et honoris-  
sicum. sæpiùs legi dignam, cùm digito

Dei scripta sit, & quidem primo inter sacros libros loco, & à Mose, ut plerique existimant, ad solatium Israëlitarum, Ægyptiaca tyrannide afflitorum. Nonne capite 2. videatur, benè attendentibus Scripturæ verba, gloriari de Jobo Deus, & quasi applausum & gratulationem flagitare, quòd eum habeat servum, tam fidelem constanterque, ut in quibusvis calamitatibus iteret, *sit nomen Domini benedictum?* Considerasti, inquit, servum meum Job, quâm simplex & rectus sit, & post tanta mala *adhuc retinens innocentiam suam.* Id expendens Tertullianus, libro

## 218    BONA VOLUNTAS

de Patientia, magnificè more suo ait:  
*Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo  
exstruxit? Quale vexillum de inimico suo ex-  
tulit?* Cùm ille homo ad omnem acerbum  
nuntium, nihil ex ore expromeret, quām, Deo  
gratias... Quid? Ridebat Deus. Quid?  
Dissecabatur malus. Cùm Iob immundam  
ulceris sui redundantiam magnā aquanimi-  
tate distringeret: cùm erumpentes bestiolas  
inde, in eosdem specus, & pastus, foraminosa  
carnis ludendo revocaret. Accidit in illo  
mirandæ tolerantiae Heroë, quod desi-  
gnabat Seneca, libro de Providentia: No-  
bis interdum voluptati est, si adolescens con-  
stantis animi irruentem feram venabulo ex-  
cepit, si leonis incursum imperterritus pertu-  
lit, tantoque spectaculum est gratius, quanto  
id honestior fecit... Ecce spectaculum di-  
gnum ad quod respiciat intentus operi suo  
Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis, cum  
malâ fortunâ cōpositus, utique si & provocavit.

xv.    Adeò gratum esse Deo specta-  
culum Seneca existimat, congre-  
dientis cum calamitate viri fortis,  
ut illam non excipi modò, sed etiam ultro  
lacessi

*Mala an-  
optabilia.*